

Qb. 271,51

Z e
2570

Joach. a. Beust

vita

4,517.

Q
D
T
S
I. V
Pub
d i
cum
con

Sw

E

Q.7.



Ch. 271. [Joachim a Beust] IV, 577.

ORATIO
DE VITA

IOHANNIS

SCHNEIDEVVINII

I. V. D. ET PROFESSORIS

Publici in Academia VVitebergensi, habita

à IOACHIMO de BEUST I. V. D. &c.

cùm gradum & insignia Doctorum in Iure

conferret doctrina & virtute ornatissimo

viro DANIELI MOLLERO

Brunswicensi, die XVII. Sept.

Anno 1577.

Subiectæ sunt propositiones huc perti-
nentes, & Ritus promotionis.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

VITEBERGÆ

Excudebat Matthæus VVelack,

Typis Iohannis Schuvertelij.

Anno M. D. LXXVII.

4577



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DO-
MINO, DOMINO CHRISTIA-
NO, Duci Saxoniae, Landgrauio
Thuringiae, Marchioni Misniae,
& Burggrauio Magdebur-
genfi, Domino suo
Clementis.

MAGNAM MIHI,
Princeps Illustris-
sime, declaranda
publicè mea in te ob-
servantia oportuni-
tatem offerre tempus ipsum vi-
detur. Cum enim habitam à
me nuper oratiunculam in re-
nunciatione honorum scholasti-
corum publicare decrevissem his
A 2 diebus

diebus, quib. sub auspiciis anni,
Ecclesia grata mente recolit &
celebrat memoriam stupendam &
salutiferam natiuitatis Filii Dei
Iesu Christi: cupidissime hanc
scribendi ad te, & recepto piis
more, bene precandi cum tibi,
tum patrie nostrae uniuersae, occa-
sionem arripui. Itaque, quod &
pietas me facere & officii ratio
iubet, primum toto pectore Fili-
um Dei Immanuelum nostrum
oro & obtestor, ut afflictam per-
turbataeq; Ecclesiam suam, honestis
Politicijs, quae hospitium huic pra-
bent, In primis uero Illustrissi-
ma nobilissimaq; familiae Vestrae,
ac tibi ipsi annum hunc ineun-
tem

tem velit esse prosperum, felicem,
Et tranquillum: Ut has regio-
nes, quæ Inclyti Parentis tui im-
perio salutari gubernantur, ab
iniuriis omnibus tutas faciat,
Et largissima benedictione sua
completeat Et cumulet, ut iuxta
Regii Prophetæ Davidis vo-
tum, habitet in terris nostris ve-
ra gloria summumq; decus in-
corruptæ doctrinæ cœlestis, pacis
Et iusticiæ: Sintq; cives beati
Et inter se concordēs, ut mise-
ricordia Et veritas obuiant sibi:
Iusticia Et pax osculentur se,
Et terra ferat fructum suum.

Deindè, cum ea sint Illu-
strissimæ familiæ tuæ merita, par-

A 3

tim

tim in Remp. Christianam uni-
uersam, quæ omnium in se ocu-
los iam conuertunt, & celebra-
tem habitura sunt deinceps sem-
piternam: partim vero in me pri-
uatim, quæ ego dissimulare, aut
preterire tacitus nullo modo pos-
sum aut debeo: Volui in nume-
rosa mortalium turba, qui hanc
certatim colunt & laudibus ex-
tollunt, meum quoq; nomen pro-
fiteri, atque hoc ad te literarium
munus qualecunq; esse meæ ob-
seruantia & studiosa subiectissi-
mæq; voluntatis argumentum.
Etsi enim ita hebes non sum, ut
neque tua amplitudine atq; præ-
stantia, neque iis beneficiis, quæ
in me

in me contulit Inclytus parens
tuus, dignum id esse ipse perspi-
ciam: tamen cum non rem ip-
sam, sed cum cæterarum virtu-
tum tuarum, tum humanitatis
quoque eximia decus considero,
planè mihi futurum persuadeo,
ut ex optima saltem voluntate,
qua boni & sapientes viri meti-
ri beneficia consueverunt, profe-
ctum officium meum, non peni-
tus sis improbaturus. Sic enim
& Deus à nobis vilia thura ca-
pit. Præterea, cum ædificiorum
vestibula deceat esse splendida,
non dubitabam, quin orationem
istam, per se ieiunam & squa-
lidam, tuum esset nomen, tan-

A 4

quam

quam fax in tenebris accensa,
illustraturum, gratiosioremq; red-
diturum. Quod igitur reli-
quum est, cum hanc lucubratiun-
culam de vita suavissimi quon-
dam collegæ mei, studiorumq;
communium socii habitam, tum
me ipsum tua Celsitudinis fidei
ac patrocinio submissè reueren-
teq; trado & commendo. Æter-
nus atq; omnipotens Deus, qui
dat salutare principes, faxit, ut
in vestigia paternarum virtu-
tum, non solum magna cum spe,
sed & laude fructuq; iam ingres-
sus, fœliciter in Reipub. commo-
dum adolescas, maiorumq; tuorū
celebritates adæquare omni stu-
dio

dio atq; successu contendas. Da-
ta Uitebergæ, Anno Christi
M. D. LXXVIII. Ca-
lend. Januarii, quo die serenissi-
mus & laudatissimus Princeps
Christianus, Rex Danie &
Noruegiæ, Dux Holsatiæ, avus
tuus maternus, cuius tu nomen
refers fausto omine, in pia con-
fessione & invocatione filii Dei
placidè obiit, Anno 1559. eta-
tis suæ 56. climact. 8.

Celsit. T.

Obsequentiss.

Jochimus à Beust.
J. V. Doctor.

ORATIO DE
IOHANNESCHNEI-
DEVVINO, I. V. D.

IN hac ingrauescente ætate
mea, & curis atq; occupati-
onibus, quas Reipublicæ
causa sustineo, sæpe intueor
animo, & veris gemitibus deploro
incendia orbis terrarum, ruinas flo-
rentium regnorum, excidia Urbium,
confusiones religionum, squalorem ac
tristissimam Ecclesiæ speciem, atque
vulnera huius domestica, rabiem ac co-
natus hostium veritati aduersantium,
publicam morum inter omnes ordines
depravationem, vulgi petulantiam, &
disciplinæ laxationem atq; interitum:
deniq; & innumeras calamitates alias,
quæ per totum genus humanum va-
gantur, & in nobilissimam huius par-
tem,

tem, Ecclesiam potissimum redun-
dant: Cuius cum me quoq; ciuem pro-
fitear, non possum dissimulare dolo-
rem meum, quem ex huius, velut pa-
triæ communis, dilaceratione atque æ-
rumnis, cum multis pijs, vbiq; loco-
rum & gentium, communem circum-
fero: quiq; in animo meo idem est,
quod Vermis in ligno, iuxta Regis sa-
pientissimi paræmiam.

Nec verò præsentium malorum
conspectu tantum excrucior, sed multò
magis cura de posteritate, qualem
hanc relicturi simus, cum nec dissidio-
rum, nec bellorum atque confusionum
multipliciū, finem vllum prospiciamus.
Humana vero præsidia aut nulla oc-
currant, aut infirma admodum: Quin
potius desereri videamur, cum à tota
rerum natura, tum à nobismetipsis,
fatali quadam amentia & cecitate
negligentes studium veritatis atq; pa-
cis.

Etsi

Etsi igitur horribiliter excrucian-
tur animi piorum, sensu atq; conspectu
ingentium calamitatum, quæ in hunc
fatalem articulum postremæ ac deliræ
senectæ mundi velut conspirarunt,
& Diabolorum furoribus exacerban-
tur ac cumulantur: tamen non sin-
amus his velut arietibus oppugnatam
assensionem de providentia, aut certi-
tudine ac veritate diuinarum promif-
sionum, nobis excuti, aut penitus euer-
ti. Vtrumq; enim prædixit Filius
DEI, non solum vates optimus, sed
& bellator fortissimus: plures ac tri-
stiores in genere humano tumultus
atq; confusiones antecessuras esse po-
stremum ipsius reditum: & se adfu-
turum Ecclesiæ suæ omnibus tempori-
bus vsq; ad consummationem seculi, &
seruaturum ac propugnaturum reli-
quias sancti agminis, quod ipsum de-
inceps quoque in omnem æternitatem
celebret.

celebret. Ad hunc igitur ducem ac pro-
tectorem nostrum, velut ad paruulam
illam Cynosuram, qua fidunt duce
nocturna Phœnices in alto, conuersi
animis, vera pietate, firma fide atque
spe indubitata petamus, seruari ac pro-
tegi laceram & horribiliter concus-
sam Cymbam nostram, qua vehimur
in sæuissimis huius vitæ tempestati-
bus, nosq; infirmos & fragiles Argo-
nautas, eluctatos ex turbulentis pro-
cellis, tandem saluos atq; incolumes,
in portum æternæ beatitudinis ac con-
suetudinis cœlestis perduci.

Interea hoc vitæ sustineamus
onus, & dum licet, concessa diuini-
tus tranquillitate atq; balcyonijs recte
fruamur, officium piè, modestè atque
sedulò facientes, prudenter feramus
communes misérias, & moderemur
luctum mœroremq; nostrum, nec im-
patientia aut intempestiuis & seditio-
sis con-

sis consilijs publica mala exasperemus, aut nos ipsos è Cymba excussos, in mala inextricabilia, aut voragineſ æterni exitij vltro præcipitemus. Et quanquam imperia tenent hodiè, ac florent potentia atq; successibus Mahometistæ, Pontificij & horum socij Hypocritæ & Tyranni, qui horribili audacia & seuitia stabiliunt & propugnant Idola, impias opiniones & cultus, ac cruentis consilijs delere Ecclesiam & nomen Filij DEI inter nos conantur: tamen non frangamur animis, nec prætextu atq; titulo Ecclesiæ, quem isti sibi falso vendicant, moueamur, nec socij fiamus parricidarum, sed circumspicientes magna cura quæramus, vbi, & quæ sit vera Ecclesia, & huic nos adiungamus, studio ac professione incorruptæ doctrinæ, ac mutato in melius vitæ instituto, frenoq; diuini timoris vinctis ac domitis
cupi

cupiditatibus pravis, mores regamus
maiore diligentia, & internam men-
tis religionem foris exprimamus &
declaremus vitæ sanctimonia & in-
nocentia: Sanare etiam vulnera Ec-
clesiæ studeamus singuli suo loco, &
mederi rebus communibus. Quod si
fiet à nobis studiosius, dubitari non
debet, quin **DEVS** misertus nostri,
& mitigaturus sit publicas atq; priua-
tas pœnas, & adfuturus ac benedictu-
rus laboribus atq; studijs nostris, quan-
tumuis magna est omnium nostrum
& infirmitas, & peccatorum etiam
non extenuanda deformitas.

In hanc me insuauem querelam,
& cogitationem piam deduxit conspe-
ctus exigui huius cœtus nostri, qui de
fatali periodo non solum regnorum &
rerum publica. Verum etiam literarum
atq; studiorum me admonere videtur,
& exuscitare ad deplorationem causa-
rum,

rum ac detrimentorum, quæ ex interi-
tur religionis & optimarum artium
paulò post in Rempub. sunt inuasura.
Meminimus antehac & frequentiam
vberiore cum discentium tum docen-
tium, & alacritatem in animis vtro-
rumq; , excitatam operarum assidui-
tate atq; successibus, dum velut certa-
tim, summo atque defesso studio, ab v-
trisque incumbebatur in vnius veritatis
culturam & propagationem. Sed
invidit hanc fœlicitatem nobis capita-
lis hostis Christi, atque Ecclesiæ, Dia-
bolus, qui primum ferro atq; igne tur-
bare alveolos nostros, accenso bello,
conatus est: Tandem, cum vi & ar-
mis deleri piorum agmina, & impe-
diri cursus Euangely non potuisset,
dissidijs domesticis nos distraxit ceu
apes fumo disturbantur. His artibus
quantum perfecit, proh dolor, ante
oculos est, copijs nostris in has angu-
stias

tias redactis. Vt igitur Lunæ corpus, ali-
às plus, aliàs minus luminis, pro diuerso
ad Solem positu, ostentat: Ita non eadem
est omnibus ætatibus Ecclesiæ species:
alias maior est eius lux, frequentia atq;
gloria: alias ipsa est squalidior, defor-
mior, ac minus frequens. Etsi igi-
tur studia doctrinæ alicubi prorsus ex-
tinguuntur bellis, alicubi petulantia &
malitia prauorum & ambitione furen-
tium ingeniorum aut corrumpuntur,
aut in contemptum adducuntur: tamen
nunquam totum genus humanum fiet
blasphemum, nec Diabolus Ecclesiam
vniuersam absorbebit, sed mansura hæc
est vsq; ad gloriosum reditum Filij Dei,
& habebit aliquos nidulos atq; hospi-
tia: Erunt & alicubi Scholæ tan-
quam publicæ officinæ doctrinæ atque
virtutis: etsi omnia hæc squalidiora &
rariora, & contaminata sui seculi mo-
ribus atq; vitijs, & vulgo receptis con-
firmatisq;

B

firmatisq;

firmatisq; opinionibus reperientur. De
Academia quidem nostra cogitanti, in
mentem venit illud Demadis, Oratoris
ingeniosi & vafri, qui dixit, consilia
sua de Reipubl. gubernatione, videri
quidem horrida, nec similia esse splendo-
ri Themistoclis & Miltiadis, aut Peri-
clis: sed vinci se ætatis suæ iniquitate
& moribus. Incidisse enim se in eas re-
rum omnium confusiones et miseras, vt
necesse sit πολιτεύειν ναυάγια τῆς πόλεως
hoc est, Cedere interdum iniurijs tem-
poris, & accommodare consilia ad præ-
sentem Reipubl. formam, qualiscunq;
illa sit. Ea vox etsi reprehensa tunc
fuit, vtpote, quæ minus honorificè sen-
tire de præsentis statu videretur: tamen
& Atticæ Reipubl. ruinam, & omni-
bus temporibus difficultatem guberna-
tionis in imperijs, quæ fatales periodos
attigisse existimantur, scitè pingit.
Ego vero cum non velim esse

μάυτις
κακῶν

potius malo *inquinari* & bene pre-
cari presentibus atq; futuris, hoc est,
DEVM orare, ut hanc duriter quas-
satam & laceram Academiam, quæ ce-
leberrima quondam multarum genti-
um magistra fuit, instaurare rursus, &
velut fractæ ac disiectæ navis tabulas
atq; rudera ex tristi dissipatione collige-
re, coagmentare, ac protegere velit. Sic
igitur coniunctis votis mecum precemini:

Tibi, ô æterne & omnipotens pater
Domini nostri Iesu Christi, toto peccore
gratias ago, quod te patefecisti nobis
tradito verbo, & repurgatam Euange-
lij lucem ex hac ipsa sede renasci, & la-
tè spargi radios huius ad alios voluisti,
nosq; ereptos ex regno tenebrarum, col-
locasti in lucem ac regnum Filij tui: &
hanc Academiam inter varia pericula
clementer protexisti: & in iustissima
ira tua misericordie recordaris, nec si-
uis fieri in his terris barbaricam vasti-

B 2

tatem

tatem, Teq̄ veris gemitibus propter vni-
genitum atq; dilectum Filium tuum Do-
minum nostrum Iesum Christum, oro, vt
deinceps etiam opem feras nobis &
Ecclesie huic orphanæ atq; ærumnosæ:
sana tu vulnera infirmi gregis tui, nec
sinas deleri inter nos veram tui agniti-
onem, veramq; inuocationem, horrendis
furoribus impiorum Sycophantarum,
aut bellis, vel lue pestifera cœtus sonan-
tium & profitentium vocem doctrinæ
tuæ deuastari: Sed semper tibi in his re-
gionibus, ex hoc infirmo grege nostro,
collige Ecclesiam, quæ te rectè agnoscat
& colat: Tuere, fove, & auge nostros
cœtus, & alueolos, vt continue pura &
limpida mella Euangelij, et optimarum
artium fundant: lenias publicas ac pri-
uatas pœnas: Reprime Diabolum ho-
stem tuum, qui nouis subinde artib. mo-
litur dissidia & dissipationes. Serua vi-
tam & sanitatem nostram, & depelle
à nostris

à nostris tuguriolis atq; corporibus omnia contagia funestæ luis. Adiuua & fortuna labores omnium nostrum, vt perpetuò fulgeant hic verbi tui puritas & artes vitæ necessariæ, disciplina, pax, & tranquillitas: nec vnquam conticescat vox doctrinæ salutaris, nec deficiat Doctor in populo tuo. Non ferias hanc terram Anathemate, quæ hætenus fuit hospitium Ecclesiæ & studiorum: Serua nobis integra hæc diuina bona tua, donec illucescat faustus ille dies, quo se rursus ostendet Filius tuus generi humano, iudicaturus viuos & mortuos, & præparatas in domo patris sui mansiones tradet possidendas electis, eosq; sapientia, iusticia, & letitia sempiterna complebit.

Hæc cum temporum ratio me cogerit prolixius præfari, nunc pro more ac consuetudine Scholæ, pauca dicam de argumento non indigno commemo-

B 3

ratione.

ratione. Cum enim de dignitate atque
usu legum ac professionis nostræ sæpè
ex hac ipsa veneranda Cathedra recita-
tæ sint commonefactiones aliorum v-
berrimæ, nolui in re peruulgata operam
sumere, aut molestiam parere auditori-
bus.

Cum igitur circumspicerem hanc co-
ronam doctissimorum virorum, mul-
taq; dura meo tristi cum corde putarem:
atq; inter alios, oculis & animo deside-
rarem suauissimum quondam collegam
meum, & facultatis nostræ eximium
decus, IOHAN. SCHNEI.
I.V.D. & Professore celeberrimum,
quem olim hæc subsellia tenentem, cum
voluptate spectauimus: non alienum
ab hac festiuitate publica, & hoc ipso
confessu fore existimaui, Viri & Iure-
consulti optimi mentionem ad vos face-
re. Decet enim, honesta exempla ma-
iorum nosse adolescentiam, & æquis-
simum

simum est grata memoria colere viros
præstantes virtute atq; eruditione, deq;
studijs literarum bene meritos. Me ve-
rò debere hoc ipsum privatae amicitiae
nostrae, quae mihi cum hoc fuit suavis-
sima, sincera, planeq; fraterna, tan-
quam postremum fidei ac benevolentiae
constans officium putavi. Non autem
sequar leges Panegyricas, aut Rhetor-
um præcepta encomiastica, cuiusmodi
in Olympicis conuentibus Græcia obser-
uauit: Sed pauca quaedam capita, ex
vita huius decerpta, commemorabo, quae
mihi de hoc viro vsu & consuetudine
familiari comperta fuerunt: cum in hac
præsertim schola, in qua ille & educatus
propemodum est, & docuit annos com-
plures, vindicandum esse ab obliuione
nomen atq; merita huius censuerim, idq;
studium meum, qui virtuti fauet, ne-
mo aspernabitur. Est enim merces rectè
factorum gloria, virtutis præmium ho-

B 4 nos,

nos, iudicio studioq; civium delatus ad
aliquem, quem qui adeptus est, senten-
tys atq; suffragijs bonorum, is & hone-
stus esse atq; honoratus, Ciceroni vide-
tur. Exiguum enim nobis vitæ curri-
culum natura circumscripsit, immensum
gloriæ.

Natus est IO H A N N E S
SCHNEIDEVVINIVS in
Vigilia S. Thomæ, Anno salutis deci-
monono supra millesimum quingentesi-
mum, Stolbergæ, quod oppidum est co-
mitatus illius, à fodinis chalybis appel-
latū, situmq; ad iuga Hercynia, vbi hæc
Turingiam à Saxonia disterminant.
Fuit is annus mortis Maximiliani Im-
peratoris, quem præcessit conuentus om-
nium ordinum imperij Romani, Augu-
stæ Vindelicorum, in quo Dux Saxo-
niæ Fridericus Elector, cum Capnione
per literas hoc egit atq; obtinuit, vt Phi-
lippus Melanthon, relicta Tubinga, in
qua

qua ille Magisterij gradum susceperat
adolescens nondum 20. annorum, in A-
cademiã recens à se constitutam, docendi
causa commigraret, cuius aduentu scho-
la hæc nostra breui tempore celebra-
tem atq; frequentiam consecuta est in-
credibilem: Philippo, quasi lumen in-
ferente disciplinis omnibus, ac cæteris
præeunte diligentia, solertia, industria
& assiduitate. Quæ vero in Repub.
agitatæ tum deliberationes fuerint de
creando Imperatore nouo, & quo pacto
recusante oblatum $\alpha\gamma\iota\omega\mu\alpha$ imperij Fri-
derico Saxone, omnium suffragijs in
Carolus V. id delatum sit, æstate illa,
quæ præcessit natalem Schneidewinij,
notius arbitror, quam vt referendum in
præsentia videatur: etsi hoc quoque e-
gregiam laudem atq; commendationem
domus Saxonicæ, in quam propter opi-
nionem virtutis tantum decus, grauissi-
mo omnium iudicio translatum fuit,
complectitur. B 5 Pater

Pater IOHANNIS
SCHNEIDEVVINI Hen-
ricus, qui praefecturam gessit aerarij Co-
mitum Stolbergensium, Vir integrita-
te, fide atque virtute eximia praeditus,
quod ex coniuge honesta & pudica, in-
ter 15. liberos, hunc Iohannem in se-
necta suscepisset natu minimum, pra-
caeteris, atque tenerrime dilexit, velut
κόπυμα senectutis suae, & diligentissi-
me erudiri atq; institui in literis curavit.
πατρί; δ' ε' γηγασκοντι νεορ δένθ' υνεξ εισή,
secundum Oppianum. Ac fuisse
Henricum ea etiam parte faelicitatis
humanae diuinitus donatum apparet,
quod & mediocriter numerosam sobo-
lem, & minime degenerem post se reli-
quit: Inter filios autem binos, qui sum-
mos doctrinae titulos atq; honores conse-
cuti, & Iuris Doctores creati fuerunt:
quorum vnus Patri ἐπιώνυμθ' Hen-
ricus, Cancellarij munus in aula Du-
cur

cum *Vinariensium* cum dignitate atq;
usu publico sustinet hodie. Alter is est
Iohannes, de quo in praesentia agitur.
Fuisset ad eundem gradum euectus &
tertius Martinus, nisi hunc patris de-
cessio, è medio studiorum cursu abduxis-
set ad familiae procurationem, quem
postea Syndici munere in oppido
Naumburgensi functum esse constat,
& virum inter suos praecipuum atq; ho-
noratum fuisse.

Iohannes igitur postquam in patria
Schola, fundamenta primarum artium
& pietatis avidè arripuisset, quòd dis-
cendi cupiditate mirifica teneretur, &
indole esset eximia, atq; ingenio recto ac
probo, in *Academiam nostram*, aetatis
suae anno *XI.* à parentibus missus est,
atque *LUTHERO* inprimis, cui
propter patriae vicinitatem, & nominis
celebritatem, usus amicitiae atq; necessi-
tudo quaedam intercesserat, commenda-
tus.

tus. Fuit hoc anno salutis **X X X.**
quo non fuit alius hominum piæ verita-
tis ac sinceræ religionis amantium, me-
moria & celebratione dignior, neq; erit
forsitan posthac memorabilior. Eo enim
diuinitus cœptum paulo ante opus refor-
mationis doctrinæ sacræ, consummari
plenius, & in lucem atq; ora hominum
palàm produci visum fuit, composito
scripto comprehendente capitibus ali-
quot expositam doctrinam nostrarum
Ecclesiarū vniuersam, opera, studio, cura
atque immenso labore Philippi Melan-
thonis: Quod ante finem Iunij in publi-
co imperij Senatu, exhibitum oblatumq;
fuit, Imperatori Carolo V. in comitijs
Augustanis, ab optimo Electore Iohan-
ne Duce Saxonum, & confœderatis
principibus & ciuitatibus nonnullis:
qui hanc formulam confessionis cupidis-
simè amplexi atq; professi sunt, eamq;
proponi in suis Ecclesijs deinceps vo-
luerunt,

luerunt, vt ab hoc tempore certa & ex-
plicata ratio doctrinae veritatis caelestis
vno scripto comprehensa extaret, quod,
secundum scripta prophetarum, Christi,
& Apostolorum, norma esset atq; Canon
fidei & controuersiarum Ecclesiastica-
rum in maxima Germaniae parte. Tali
igitur tempore, quo Ecclesiae Christi re-
stituta est lux atq; nitor verbi caelestis,
in hoc oppidum venit Iohannes Schnei-
de winius, vt dictum est, et non solum in-
notescere Lutheri coepit, sed & famili-
aris ei atq; domesticus conuictor esse:
qui quidem cum indolem in hoc adole-
scente egregiam esse ad virtutem atque
litteras perspiceret, paterno amore eum
est complexus, secumq; habuit toto pro-
pemodum decennio: Quo ille priuato
vtens studiorum gubernatore, Magi-
stro Vito Theodoro Noribergensi, &
in studijs optimarum artium laudabiles
progressus fecit, & initia doctrinae Iu-
ris de-

ris degustavit: Conuersatione vero quotidiana, peneq; assidua cum hoc summo viro atque Magistro pietatis, diuinitus excitato, Martino Luthero, ita in doctrina pietatis & articulis fidei informatus est atq; edoctus, vt quid de singulis sentiendum sit perceperit, & sermonibus, scriptis, ac concionibus huius adiutus, **DEVM** verè agnoscere atque inuocare didicerit, animiq; sui pietatem deinceps omnibus Christiano homine dignis virtutibus, in omni vita atq; officio, constanter religioseq; declararit vniuersis, quibus innotescere vniquam potuit: Qui quidem ardens pietatis studium in Iohanne nostro, timorem atq; reuerentiam erga **DEVM**, & integritatem, fidem atq; candorem huius, non minoris, quàm eruditionem, ceterasq; dotes fecerunt, ac prædicarunt. Quod enim de Archelao rege **Æschylus** inquit:

Esse

Esse bonus mauult magis, quam bonus esse uideri.

Id multo rectius de hoc nostro legum Doctore vsurpabimus, cuius petus accensum flatu Spiritus sancti, flagrabat vera pietate, omniumq; sanctarum virtutum motibus, atq; exercitijs. Testantur hæc cum alia, tum indefessa lectio scriptorum Prophetarum & Apostolicorum, assiduitas quoq; in frequentandis concionibus sacris: Quarum hic adeo fuit studiosus, vt plerasq; domi habitas à Luthero, ipse vnà cum præceptore suo Vito Theodoro, exceperit, suaq; manu descripserit, quæ deinceps publicatæ fuerunt. Quin & in publicis concionibus quæ ad populum habentur, si quid notasset, quod vel consolationem efficacem, vel loci obscurioris explicationem contineret, id magno studio & alacritate exceptum, margini concionum Lutheri domesticarum asscribere solitus fuit.

Lutherus

LVTHERVS, quod filij hunc
loco haberet, etiam curam de matrimo-
nio ad se pertinere existimabat, & sua-
sor huic fuit, vt ad coniugium tempesti-
uè animum applicaret, quo abduceret
adolescentem à sodalitia, subinde incul-
cans ei, nullam esse inter homines ma-
iorem et dulciorem amicitiam coniugio.
Re igitur communicata cum parentibus
Iohannis, despondet ei vicesimum æta-
tis annum agenti, non solum honesta
specie atq; forma, verum etiam pudicis
et venustis præditam moribus puellam,
Annam, natam ex honorata familia
huius oppidi, quæ nomen gentilitium
Turingorum habuit, agnomen vero
Aurifabrorum. Pater sponsæ, vir ho-
nestus, socio Luca pictore seniore, pri-
mus suo sumptu officinam Typographi-
cam hic instruxit, vt promoueri doctri-
næ propagatio, editis ac publicatis ma-
gno numero scriptis LVTHERI,
atque

atque Biblijs vernacula lingua reddi-
tis, posset. Maritus igitur factus Io-
hannes, totum se ad pertexendum Iuris
studium conuertit, in quo operam dans
publicæ scholæ, magnaq; assiduitate do-
centibus auscultans, intra quinquenni-
um id est consecutus, vt publicè respon-
derit de Iure pro consequenda licentia,
præsidente Viro Clariss. D. Laurentio
Zochio, qui postea in Academia Fran-
cofordiana docuit. Spectata tum in-
dustria ipsius, nomen ei & famæ cele-
britatem peperit apud exteros. Itaq; ex-
petita est mox opera eius à Genero-
so ac Nobili Comite Gunthero à
Schwartzburg, in cuius aulam conces-
sit, ac gubernationis consilia rexit
magna fide atq; prudentia. Amisit in-
terea Prophetam seculi nostri, suumq;
hospitem & doctorem fidelissimum
Lutherum, quem acerbis lacrymis sæpe
deplorauit absens, & requisivit consili-
um huius

um huius in grauissimorum negociorum
dijudicatione. Sæpe de Rodolpho Im-
peratore & sapientissimo & fortissimo
cum amicis sermones conferens, qui o-
pera consilioq; Irnerij Iurisconsulti, in
scholas atq; forum reduxit studia & v-
sum doctrinæ Legum, recitare, & ad
Lutheri mortem transferre illud sole-
bat, quod tumulo Rodolphi inscriptum
legitur: Ecclesiæ gemitus, illius est o-
bitus: prospiciens animo secuturas pau-
lo post in religione distractiones.

Quadriennio exacto, reuocatus in
Academiam honorificis literis, redijt in
hoc oppidum, estq; ei locus inter profes-
sores attributus, initio anni 49. &
Institutionum Iuris ordinaria prælectio
demandata: Cui muneri ita præfuit, vt
diserta & succincta explicatione lucem
adferens plerisq; materijs, plurimum
adiuuerit & prouexerit discentium stu-
dia, & à discipulorum frequentia, quo-
rum

rum multi hodiè in summorum princi-
pum aulis negocia administrant, &
Reipubli. operam nauant vtilem, schola
ipsius commendata sit. Cum enim
adolescens operam dedisset Clarissimis
viris, Dn. D. Hieronymo Schurfio,
Chiliano Goldstein, & Melchiori Klin-
gio, methodum horum in docendo aptè
fuit secutus, seq̄ totum ad horum imi-
tationem composuit. Itaq̄ quantum fo-
renses causæ, quæ ipsi crebrò multumq̄
offerebantur, permiserunt, assiduus in
docendo fuit, & Spartam suam, quam
propter opinionem virtutis atq̄ doctri-
næ nactus erat, ornare diligentissime
studuit. Interea succisiuis horis commen-
tatus est in Epitomen illam seu Isago-
gen Iuris, quæ ex amplissimis volumi-
nibus breuia capita excerpta continet,
Institutionum titulo, qui Commentarij
aliorum in hoc genere elaborationes
Vincunt, ac digni iudicati sunt à Iure-

consulto Clarissimo, collega & compa-
tre meo carissimo, Matthæo Wesenbe-
cio, quem honoris causa libenter nomi-
no, quibus de suo quædam adijceret, ut
vsi aptiores ac locupletiores fierent:
qui labor cum hodie sit in manibus om-
nium, prolixior non requirit oratio-
nem.

Nec vero in scholasticis solum ope-
ris enituit ingenij ipsius atque iudicij re-
ctitudo, sed & in dandis consilijs fides
atq; prudentia. Itaq; Illustrissimi Ele-
ctoris mandato cooptatus est in iudici-
um prouinciale, & senatum Iurisconsul-
torum, à quo responsa petuntur in gra-
uissimis controuersijs, quæ varijs ex lo-
cis huc perferri solent. In ferendis sen-
tentijs accurata peneq; superstitiosa v-
tebatur diligentia & circumspetione,
ut ne quid de re non satis explorata
compertaq; diceret inconsultius, aut sta-
tueret, cuius ipsum pœnitere deinceps
posset,

posset, crebrò in ore illud habens: Ad
pœnitendum properat, citò qui iudicat.
Itaq; cum pronunciandum de capite aut
fortunis cuiusquam esset, perlectis ite-
rum atque iterum commentarijs rerum
gestarum, & pensitatis rationum om-
nium momentis, rogare Deum solebat,
ne inter legendũ animo esset ocioso, aut
rerum alienarum cura occupato & di-
stracto, sed huic solum negotio vacante,
atque in præsentem causam intento.
Hanc memorabilem huius viri vocem,
omnibus qui ad Rempubl. & ad dicen-
dum ius aliquando accessuri sunt, no-
tam commendatamq; esse velim. Ser-
mone vtebatur apposito, & perspicuo,
prudenterq; cogitato ac præmeditato,
illo Demosthenis se delectari signifi-
cans, qui improbum ciuem iudicavit
eum, qui ad dicendum in re ardua im-
præmeditatus accessisset.

Biennio postquam ex aula redijt,
titulum atq; insignia Doctorum in fa-
cultate Iurisconsultorum assumpsit, non
tam privato arbitrio, aut ambitione
quadam, à qua natura fuit alienissimus,
quàm amicorum precibus persuasus,
cum quidem honorum competitores ha-
beret viros præclaros: Christophorum
Trautenbul, Syndicum ciuitatis Gos-
lariensis, Stephanum Clodium, qui ope-
ram dedit principibus Vinariensibus,
Ulricum Sitzingerum, qui & Reipubl.
Noribergensi & Maximiliano II. Im-
peratori consilio adfuit, deniq; Andre-
am V Volfium huius oppidi ciuem. Nec
vero in scholasticis pulueribus aut um-
bratili ocio consenescere Schneidevini-
um nostrum passa est honorifica de ipso
summorum virorum existimatio. Itaq;
accer situs sæpè multumq; ad exteros fu-
it, & expetitur consilium eius in gra-
uissimis causis, quibus ille sic præfuit,
vt in

Vt in dicendis sententijs vnā semper
æquitatem sibi atq; ius propositum ha-
buerit, & ad scopum diuinæ legis, &
Iuris Romani atq; Saxonici respexerit,
nec sententiam ad placitum volunta-
temq; cuiusquam inflexerit. Ac sæpe
dicentem memini, illud Regis cuiusdam
Iurisconsulto sequendum esse in causis:
Nec spe, nec metu. Id igitur studuit
vnicè, ne à præscripto legum dissentiret
vox ipsius, neue in gratiam vel odium
cuiusquam, à boni viri officio declina-
ret, vt hoc pacto conscientie integra-
tem erga Deum, & nominis sui atque
existimationis dignitatem ad alios tue-
retur, quemadmodum dixisse Augusti-
num legimus: Bona conscientia sibi
opus esse propter Deum: Bona fama
propter proximum. Fuit igitur Schnei-
devinius noster non solum Iurisperitus
egregius: verumetiam vir bonus, &
iustus, **DEVM** timens, religionem co-
lens,

lens, ac vitæ inculpatae, morumq̄ integritate eximia præditus & ornatus, qui prodesse studuit omnibus, nocere nemini: qui nullo emolumento se impelli in fraudem passus est: qui à rixis toto pectore abhorruit, nec ex numero illorum fuit, qui lites ex litibus serendo, controuersias producunt & alunt: Deniq̄ id egit omni cura & diligentia, vt sacerdos Iusticiæ esset ac perhiberetur. Sæpe Baldi sententiam velut regulam professionis suæ commemorabat: Iudicem debere vtroq̄ sale instructum esse: vno scientiæ, sine quo sit insipidus: altero conscientie, sine quo sit Diabolicus. Cumq̄ studiosissimus esset sacrarum literarum, semper ante oculos habuit grauissimam concionem Regis Iosaphat, qua is vtitur ad Iudices in populo Dei, inquit: Videte quid agatis. Non enim hominis iudicium exercetis, sed Dei, & ipse Dominus vobiscum est in iudicio.

cio.

cio. Ideo timor Domini sit in vobis, & singula sedulo diligenterq; facite. Nam apud Dominum non est iniusticia, nec personæ respectus, nec muneris acceptio. Quo præcepto quid cogitari splendidius aut sanctius potest? Et si enim multa sunt à Platone, Aristotele, & Iureconsultis sapienter tradita de officijs Iudicum: tamen nulla extat similis commonefactio in omnibus Philosophorum & Iurisconsultorum scriptis. Requirit Iosaphat in quovis Iudice tres maxime necessarias virtutes, quorum prima & summa est: timor Dei. Neminem timet iudex, qui Deum non timet, sicut iniustus Iudex in historia Evangelica nec Dei, nec hominum respectu movetur. Cogitet igitur iudex se Dei esse Vicarium, & rationem reddendam esse non hominibus, sed Deo, supremo & iustissimo iudici. Altera virtus est fidelitas, quæ comple-

Elitur scientiam Iuris, & in ferendis
iudicijs diligentiam, qua causæ accurate
te cognoscuntur, & utraq; pars, secun-
dum veterem legem Atticam, auditur.
Postrema est iusticia, secundum leges
iudicans, & vitans προσωποληψίαν καὶ
δωροφιλίαν. Non moveatur iudex per-
sona cuiusquã, nec pecunia se corrumpi
patiatur, non defendat Harpalos, nec
veniam det corvis, aut vexet columbas.
Ad hanc igitur præclarissimam nor-
mam & sua consilia, & labores uni-
versos dirigere atque accommodare stu-
duit noster Schneidewinius, atque hoc
nomine carus fuit bonis omnibus, atque
præstantibus è nobilitate viris. Nec de-
fuerunt successus honestissimo cursui
ipsius. Anni sunt circiter XX. cum
de mandato & sententia illustrissimi
principis, atq; Electoris Augusti Ducis
Saxonie, domini nostri clementissimi,
missus est Spiram ad inspectionem &
dyudi-

dijudicationem maximarum controuer-
siarum, de quibus disceptatum in Sena-
tu Cameræ imperij, longo iam tempo-
re fuerat. Non multò post, cum de dota-
litio fundo lis inter Electorem Saxonie
& Landgraviium Cattorum orta esset,
quæ exarsura in malum grauius atque
detrimentum periculosum, nisi tempesti-
uè prudenterq; ei occurreretur, videba-
tur, commissum negocium fuit ad co-
gnosendum ac dirimendum magnis U-
trinq; viris, in equestri ac literatorum
ordine, delectis ac iuramento obstrictis
in oppido Mulhusio, ne quis parti suæ
nimium fauens, alienam ab æquitate
sententiam ferret. Ibi tum inter alios
visum fuit Illustrissimo principi nostro,
hunc patronum suæ causæ cum Doctore
Modestino Pistorio præceptore meo, de-
ligere: cum aduersæ partis causam age-
rent Iureconsultus clarissimus Olden-
dorpius & aly: Quo in negotio, arduo
atq;

atq; difficili, ita excelluit Schneidewini
nostri prudentia, moderatio & fides,
vt cum ad optatum finem deducta com-
positaq; res esset, & causa Electoris vi-
cisset, magnam apud hunc gratiam ini-
re visus fuerit. Perfunctus enim hoc
munere, præmium satis amplum et mu-
nificum, ex regia inclytâq; Electoris no-
stri liberalitate est consecutus. Sed &
posthac in causa quadam non parui ne-
gocij atq; industriæ vsi sunt opera huius,
in iudicio Camere equestri dignitate
præstantes Viri. Verùm non libet sin-
gula persequi. His igitur missis, insti-
tutam expositionem persequamur.

Privata huius vita plena fuit ex-
emplorum, non solum Iurisconsulto ta-
li, sed Christiano homine dignissimo-
rum. Coniugio vsus fuit commodo, sua-
ui, & ijs bonis referto, quæ pijs homini-
bus vox diuina, tanquam præmia reli-
giöse in Deum pietatis, promittit. Fuit
enim

enim, ut dictum est, iuncta ei matrimo-
nio, Anna Duringia, quæ nominis sub
omen, castissimis ac gratiosis moribus
expressit. Fuit enim casta, pia & a-
mans mariti, quæ suauitate sermonum
sepe huic mœsticiam lenijt, obortam ex
grauissimarum rerum cura & tracta-
tione. Ex hac liberos suscepit XVI.
quorum pleriq; iam honores in Republ.
sunt consecuti, & affinitate iuncti ho-
minibus præcipuis. Liberos piè ac sedu-
lò erudiri, atque institui, in timore ac di-
sciplina Domini curauit, ut vsui ali-
quando rebus communibus essent: Quo
consilio & integram historiam passi-
onis domini numeris germanicis, ac
rythmis, elegantissimè complexus est,
suisq; domesticis ut formulam quotidia-
narum precum commendauit: deniq; fa-
miliam vniuersam ita rexit partim vo-
ce sua, partim exemplis propriarũ vir-
tutum, ut domus eius honestæ discipli-
næ scho-

nae scholasticae imago quaedam, & pri-
uata Ecclesiola videretur. Cumq; ipse es-
set iustus, grauis, ac seuerus, ita tamen
lenitate & ἐπιεικείᾳ moderabatur ac
temperabat gubernationem domesti-
cam, vt excelleret bonitas, & comitas
erga suos, & pulcherrimo temperamen-
to patriam autoritatem tueretur, ac sæ-
pe Mantuani dulcissimos versus refere-
bat:

*Sit licet in natos facies austera parentum, (tas.
Aqua tamen semper mens est, & amica volun-*

Fuit & species viri per se valde
honesti & decora, quæ grauitatem mi-
nimè austeram aut morosam, sed suauit-
ati ac comitati coniunctam præ se fer-
ret: qualis & tali viro, & professioni
conueniret. Partium vero corporis atq;
membrorum omnium decens aptaq;
conformatio atq; figura: habitus ad ple-
nitudinem, quam Medicorum vocabulo
πληθώζαρ vocant, magis quam ad gracili-
tatem

litatem accedens: ex quo factum est, ut
quanquam sensibus integris & valetu-
dine satis firma vteretur, & hanc tem-
perantia & sobrietate diligentissime
tueretur: destillationibus tamen inter-
dum infestaretur, & capitis vertigine,
auriumq; tinnitu. Quæ mala etsi leniora
primùm visa fuerunt, ita tamen cum cre-
brius recurrerent, sensim adaucta sunt,
ut & magnam ipsi sollicitudinem im-
minentis periculi, & grauioris alicuius
morbi, tanquam $\omega\sigma\delta\zeta\omicron\mu\omicron\iota$ incuterent,
& mortem etiam, ante iustam senectam
ætatisq; maturitatem, accelerarint. Quæ
quidem valetudinis pericula ille prospici-
ens, non intermisit quotidie, siue de le-
cto surgeret, siue ad somnum accederet,
se Deo commendare ardentissimis pre-
cibus atq; suspirijs, quibus & paratum
se esse ad obsequium quocunq; tempore
præstandum euocanti ipsum Deo, et in-
dubitata spe ac desiderio beatioris vitæ
teneri,

teneri, ostendebat. Ita & D. Philippus
Versus cubiculo adscripserat, quibus
commentari secum pie de migratione
videbatur:

Sic ego quotidie de lecto surgo precando,

Ut mens ad mortem sit duce leta Deo.

Memini, cum è consilio publico Sca-
binatus egrediens aliquando, ac defati-
gatus lectionis assiduitate, compressio-
nem insolitam pectoris, atq; angustiam
quasi præclusi spiritus perciperet, sub-
latis in cælum oculis, in hæc verba, præ-
sente confirmatoq; animo prorumperet:
Quando tibi visum est, Christe, ferias
hoc caput placidè clementerq;. Audi-
ti sunt & similes ex ipso sermones alij,
pleni religiosæ in Deum affectionis. Itaq;
cum anno ab hinc nono, qui fuit ætatis
ipsius vnde quinquagesimus, & clima-
ter periculosior, hyberno frigore satis
acri & immiti, in vicinum Seruestum,
quod est Ducum Anbaldinorum oppi-
dum

dum primarium, ad explicanda compo-
nendaq; senatus negocia quædam euo-
catus hinc esset: socio Doctore Michaële
Teubero, inter occupationes illas pias et
Reipubl. isti salutare, mortem obiit re-
pentinam, cum confectis pridie rebus,
abitu pararet, ac recte valens, peneq;
incoenatus in lectulum se incolumis,
vti videbatur, composuisset, & nemine
aduertente, mane complicatis in for-
mam crucis manibus, nihilq; deprauato
corporis positu, ibidem repertus esset,
cum incredibili omnium eius loci homi-
num, luctu, ac Principis ipsius & sena-
tus comploratione. Etsi vero neq; de vi-
olentia aliqua externa, neq; de veneno
suspicio vlla incidere in hunc miserabi-
lem sanè optimi & laudatissimi viri ca-
sum potest: tamen consentaneum est
eum apoplexia forti extinctum aut ca-
tarro suffocatum esse, præsertim cum
& notæ apparerent, atq; vestigia morbi
D illius,

illius, & obnoxiam huic fuisse iamdu-
dum corporis ~~dispositionem~~ ac constitutionem,
cum ipse non ignoraret, tum Medici
artis periti iudicarent. Præfagijt ani-
mus hanc illi noctem supremam & fa-
talem fore, cum hospes Illustrissimi
Principis Anhaltini Ioachimi Ernesti
inter medias epulas surgens à cœna, ei-
dem valediceret, & culpam præmaturi
atq; indecori abitus verecundè deprecæ-
retur, quòd sub medium noctis iter in-
gredi ad suos constituisset. Impetrat
igitur venia à principe, cum in hospiti-
um progressus, placide se ad somnum
composuisset, sobria atq; integra mente
& precibus Filio Dei se commendans,
ita tum præter omnium expectatio-
nem, ea nocte obdormijt, vt quod omi-
natus paulo ante fuerat, migrasse ad
maiores suos in æternam quietem ac be-
atitudinem cœlestem credi omnino de-
beat. Etsi enim reclamatur ratio, inopi-
natam

natam & subitam decessionem talem
non congruere vitæ honestæ, piè ac lau-
dabiliter actæ: aut vitæ turpis exitum
non posse non esse horrendum ac tri-
stem: tamen nos in Ecclesia, edocti te-
stimonijs diuinis, dubitare non possu-
mus, quin renati fide & Spiritu, bo-
namquè militiam in his terris mili-
tantes, ac fidem & bonam conscienti-
am retinentes, quomodocumq; sanè euo-
centur, in numero esse beatorum. De
huiusmodi autem subitis euentis, quæ
perturbare etiam sapientes possunt,
scriptum est diserte: Iustus, si morte
præoccupatus fuerit, in refrigerio est,
& anima eius in manu Dei, mortis tor-
mentum non sentit. Hæc igitur dicta
scripturæ, & vita auteacta, confirmare
animos bonorum & piorum subitis ca-
sibus consternatos, possunt. Quid est
enim tota piorum vita, nisi mortis com-
mentatio, & cura de exitu ex hac bono,

D 2

& bea

Et beata ad Deum migratione? Talis
autem Vita non potest claudi exitu ma-
lo, quocunq; casu aut modo extingua-
tur, siue natura, siue morbis consuma-
tur: sicut contra, turpis Vita Et profa-
na, ne morti quidem honestæ aut beatæ
locum relinquit. Cum igitur nullo tem-
pore Christiana pietas ad mortem im-
parata esse possit: gratulanda est poti-
us, non inuidenda Schneidewinio nostro
ea mors, cui moriendi sensum celeri-
tas abstulit: pectori vero instillata ex
verbo cœlesti sapientia, Et fidei robur
à Spiritu sancto accensum, acerbæ
mortis gustum omnem interclusit:
vitæ autem ac læticiæ sempiternæ initi-
um commutationemq; attulit. Dulcissi-
ma est enim Et verissima vox ipsius fi-
lij Dei: Qui credit in me, non gustabit
mortem in æternum. Ita igitur è Vita
excessit Doctor Iohannes, obdormi-
scenti potius quàm morienti similis,
ætatis

ætatis suæ climactere septimo. Fama
Verò inopinati huius atque acerbi casus
disseminata celeriter, atque altero mox
die huc quoq; perlata, non solum dome-
sticos & propinquos demortui grauissi-
mè perculit, sed & Academiam in pri-
mis & ciuitatem vniuersam. Funus ip-
sum postridie huc adductum honorifico
Anbaldini Principis Ioachimi Ernesti
comitatu, illatum primum in ædium,
quas viuens incoluit, vestibulum: mox
in templum arcis elatum est, prosequen-
tibus exequias singulari studio & affe-
ctione, Professoribus atque discipulis
scholæ huius, senatu oppidano, & ma-
gna vtriusq; sexus hominum frequen-
tia, & luctu atque lacrymis officiosam
erga defunctum benevolentiam publicè
testantibus bonis omnibus. Ibi tum per-
actis de more iustis funebribus corpus
tumulo impositum est, in quo ipsius
animæ exuuiæ, in spe resurrectionis atq;

immortalitatis quiescunt ad latus Mar-
tini Lutheri, quo ille in vita hospite atq[ue]
Magistro ad pietatem vsus fuerat.

Fuit omnino is Vir, & publicum
bonum, & ornamentum scholæ nostræ,
cuius vsumfructum etsi hæc percepit
aliquandiu minimè contemnendum, ta-
men perceptura fuisset longè vberrimū,
nisi occulto Dei iudicio, in ipso ætatis
vigore, ante caniciem hinc euocatus fu-
isset. Neq[ue] enim ingenij solūm rectitu-
dine ac iudicij dexteritate & prompti-
tudine: Sed & candore, probitate, fide
& integritate excelluit, quas ille natu-
ræ dotes, mirifica comitate & humani-
tate, deniq[ue] & gratificandi quibuscunq[ue]
studio sic exornauit, vt viuus apud om-
nes ordines uehementer esset graciosus:
mortuus vero etiam famæ celebritatem
honorificam demeruerit ad posterita-
tem. Tanta quidem de Schneidewinij
sapiencia,

sapientia, moderatione, & Jurisperitia
fuit in his terris opinio & persuasio, vt
quibus in causis ipse iudex sederet, ius
ius atq; æquitatem certò contingere, exi-
stimaretur. Nam non tantum Ius ciui-
le, verum etiam patrium seu Saxoni-
cum probè callebat, & interpretandis
atq; accommodandis legibus singulari
vtebatur scientia. In dirimendis vero li-
tigantium controuersijs, ad æquitatem
omnia retulit, omniq; conatu id egit, vt
finis atque modus contentionibus, ex
æquo & bono imponeretur. Vniuersa
igitur ætas ipsius, impensa studijs & ne-
gotijs ciuilibus, successu nequaquam
vulgari, honoratissima quoque fuit, &
memoria nominis ipsius gloriosa & ho-
nesta vt sit deinceps quoque ad omnem
posteritatem opto.

Habetis, Venerandi & carissimi
auditores, breuem de viri optimi & do-
ctissimi, mihiq; amicissimi, cursu vitæ

D 4

atq;

atque virtutibus, non pro dignitate, vi-
uisq; coloribus expressam, sed rudi filo
contextam & velut delineatam expo-
sitionem: de qua me & superiorum
temporum recordatio, & hic ipse locus
sacer commonefecit, in quo sanctæ ipsi-
us exuviæ requiescunt in spe beatorum
ad latus sui hospitis, præceptoris & ne-
cessarij Martini Lutheri, vt Paulum
Apostolum ad pedes sui Doctoris Ga-
malielis consedissee narrat historia sacra.

Quod superest, nosq; in his congres-
sibus facere par est, iterum, publico om-
nium nomine, Filium Dei Dominum
nostrum Iesum Christum toto pectore
oro, vt senescentem Ecclesiam ipse ge-
stet, foueat, & seruet, nosq; organa salu-
taria huic faciat, regat, & protegat:
Academiam etiam hanc, velut piam ac
officiosam doctrinæ officinam, quem
LUTHERVS sua voce plantauit,
Philippus rigauit, Schneidevinius suo
loco


loco exornavit, colligat rursus, in inte-
grum restituat, atque incolumem recteque
sentientem ac docentem in pia animo-
rum concordia seruet ac tueatur
ad longam posteritatem.

D I X I.



D 5 P E T L

PETITIO AD
DECANVM
D. VVESENBEIVM.

 Larissime Domine Doctor
Decane & Vicecancellariae dignissime, Collega & compater observande. Quamquam à maioribus nostris graui consilio introductum esse existimo, vt illi qui ad amplissimum gradum in Iure consequendum aspirant, ex hac Cathedra prius publice commendari & debeant & soleant, quo eorum eruditio & virtus multis notior esse possit: Ego tamen candidatum nostrum Daniele Mollerum Brunsvicensem doctrina, pietate, et virtute praestantem virum, in hoc celebri doctorum hominum corona non ambigose commendabo, ne mihi accidat, quod quondam illi accidisse fertur, qui cum apud Athenienses in publicum prodiret & clara

Et clara voce diceret, se Herculis labores decantaturum, insperatum ab aliquo astantium dicitur accepisse responsum: Quis Herculem vituperet? Herculei labores huius Danielis, quos ille in cognitione Iuris nostri posuit, tibi non sunt ignoti. Eius enim præclara eruditio, virtus, et morum integritas tibi et toti collegio nostro, ex habito privato examine et publica disputatione, antea satis perspecta et cognita est, quo fit, ut ille præconio meo non egeat. Cum ergo is acri censura collegij nostri dignus iudicatus sit, cui sumus gradus in utroque Iure tribuatur, ego te et meo et ipsius nomine amanter oro, ut quod obnixè petit, concedas ei licentiam sumendi gradum Doctoratus in utroque Iure. Spero eius dignitatem non tantum collegio nostro honorificam, sed et Ecclesiæ et Reipublicæ fore utilem et profuturam esse. Dabis ergo meæ et ipsius honestissimæ

stimæ petitioni locum, cum honesta pe-
tenti, secundum Imperatorem nostrum
non sit denegandus assensus. Pro quo
officio, tu tibi illum perpetua animi gra-
titudine & obseruantia deuincies, mihi
etiam & toti collegio nostro rem gra-
tam facies. Oro autem filium Dei, vt
studia & omnes actiones huius ornatif-
simi & doctissimi viri Danielis Molle-
ri ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ suæ
& Reipubl. vtilitatem dirigat, & vt
eum, & nos omnes clementer regat &
protegat.

R E S P O N S I O D E C A N I.

AMplissime & nobilissime Domine
Doct̃or & promotor: scitè, pruden-
ter admodum & vrbane, sicut omnia,
comicus scripsit: Quod bonis benè fit,
idem graue ac gratum esse solet. Nam
quando viri boni publicum sint bonum,
sequens

sequens est, quicquid his beneficij præ-
statur, idem in communem rem Utilita-
temq; conuerti. Quapropter cum eru-
ditus hic vir Daniel Mollerus Brun-
suicensis, ita honestis vitæ moribus im-
butus, & elegantioris doctrinæ cultu
sit institutus, vt vtrumq; publicè priua-
timq; ordini nostro probarit, spemq; fe-
cerit amplam, se bono publico ad Rem-
publ. cum nostro elogio concessurum
esse: non inuitus ad tua postulata, no-
mine collegij nostri, potestatem ei facio,
procedendi ad eos honores, qui sectato-
ribus nostris à nobis quidem maximi,
in schola conferri possunt. Atq; vtinam
plures iisdem industriæ ac virtutis iti-
neribus eodem rectà contenderent. Me-
lius vtiq; cum rebus ageretur humanis:
quàm quoties verè dici Platonium il-
lud ex Phædone potest:

Plures thyrsiferos, paucos est cer-
nere Bacchos: ac si nunc dicas:

Multos

Multos doctores, paucos est cernere doctos,

Qui quidem titulo scientiæ palliati,
& specie magis quam re sapientes, si
quando gubernaculis rerum adhiben-
tur: non minus offendunt, quàm impe-
ritus gubernator in medio mari. Imo
hoc periculosius, quod iste nauim dun-
taxat, illi Rempubl. & quicquid ea con-
tinetur, euertunt. Rectius igitur, venu-
stè quidem Plutarchus aduersus Colo-
tam, istiusmodi *αεθικοφόροις η̄ θελοεόλοις*,
studiosos sapientiæ, veritatis iusticiæq̄
mystas antefert & substituit: qui eo
sunt animo, vt velint, illo eruditionis
studio, vt possint prodesse quampluri-
bus, nocere nemini: Quorum in lectiss.
numero, qui veram Philosophiam, quo-
modo noster loquitur Vlpianus, non si-
mulatam, affectant, vt tu quoq̄, Mollere
potius esses quam haberere, nauiter labo-
rasti, ac operam etiam deinceps daturum
assiduam confidimus, quo semper tibi
constes.

constes. Ea spe inducti, volentes libentesq; in exedria legum te mittimus ac recipimus: possessurum opes, & percepturum fructus diuini ac humani Iuris: non cum tuo solùm, sed plurimorum etiam, quibus communicari debent, emolumento. Quod vt felix faustumq; tibi sit, & tuis, Ecclesie etiam & Reipub. benè vertat, ex animo Deum precor & opto.

RITVS PROMOTIONIS.

Ego igitur autoritate publica, quam etiam fungor, te Danielelem Mollerum creo & promoueo Doctorem in vtroq; iure, Et te amplissimo gradu Doctoris ornatum esse, sententia & grauisimo iudicio totius Collegij nostri renuncio, In nomine patris, filij, & Spiritus sancti. Et attribuo tibi omnia priuilegia, quibus hic ordo à summis principibus singulari consilio ornatus est.

CATHE

CATHEDRA
ET LIBRI.

ET quia vetustas, ut talis renunciatio esset celebrior, addidit signa quaedam, quae voluit esse non ineptos ludos, sed utiles commonefactiones consideranti quid reuera significant, in his quoque morem vsitatum seruabo.

Ac primum te in hanc honestam cathedram colloco, & librum tibi aperio, quo gestu scias, res grauissimas significari. Taxantur & damnantur duae stultissimae opiniones. Prior est quod vociferantur aliqui stolidi & Tribunitij homines, Nihil opus esse scripto iure, & doctrina Iurisconsultorum, ac potius res iudicandas esse iudicum ingenijs, sine scripto iure. Hanc amentiam hic ritus, quo liber proponitur & aperitur, reprehendit, ut significetur, Velle sapientissimos gubernatores, ut his libris

bris ac scripto iure vita gubernetur, & controuersiae iudicentur, non ex arbitrijs aut cæcis affectibus potentum, aut calliditate iudicum. Agnoscamus ergo voluntatem Dei, qui & scriptum Ius dedit suo populo, & in duabus tabulis summa præcepta suis digitis bis inscripsit, vult igitur esse scriptas leges, Et gratias ei agamus, quod nobis dedit ius sapienter scriptum, congruens ad illa præcepta, quæ digitis Filij Dei in duabus tabulis bis scripta sunt, & hunc thesaurum posteritati conseruemus.

Deinde altera opinio taxatur hominum arrogantium, qui putant leges posse intelligi sine voce docentium, sine collatione, & lectis duabus aut tribus pagellis, & emptis vocabularijs & reperijs, existimant se esse Iurisconsultos, Sceuolas, & Vlpianos. Vt autem commonefiant & alij, necessariam esse vocem docentium, Ideo hic ritus collo-

E

candi

candi in Cathedram institutus est. Magna sapientia est videre fontes legum, scilicet radios sapientiæ Dei, transfusos in mentes humanas, quæ dicuntur leges naturæ immutabiles & æternæ, & considerare, quibus demonstrationibus, & argumentis extructæ sunt sequentes leges, ex his primis radijs diuinæ lucis. Item intelligere seriem, & quasi Ideam totus ædificij, quod à personis ad res, ad contractus, ad obligationes, ad Iudicia, ad actiones, & pœnas procedit, qua in re ipse ordo in singulis testimonium est de Deo, & multæ sunt imagines iusticiæ Dei. Deniq; semper in imperijs certi fuerunt interpretes Iuris, qui alios erudierunt. Hunc morem, vt Deus inter nos quoq; conseruet optamus. Et non putent Iuniores, se sine voce docentium posse Iurisconsultos fieri. De his tantis rebus, videlicet de scripto iure, & de voce docentium, commonefaciunt
nos

nos hi ritus . Cum autem sciam te rectè
didicisse integram Iuris doctrinam, tri-
buo tibi auctoritatem respondendi de
Iure, & alios docendi.

P I L E V S.

FVit & vetus insigne docentium in
Ecclesia Pileus, qui significat, nos
non solum hanc politicam sapientiam
scire oportere, sed etiam Ecclesiæ do-
ctrinam ac certamina ac decreta de do-
gmatibus . Ac vetustas proprie nomi-
navit Canones Regulas fidei, id est, De-
creta & sententias de controuersijs do-
ctrinæ. Scio autem te semper vera pi-
etate inquisiuisse veterem Ecclesiæ do-
ctrinam, & rectè inuocare Deum. Ideo
& spero tuam vocem Ecclesiæ vtilem
fore, & vt te regat Filius Dei in con-
trouersijs doctrinæ iudicandis opto.

A N N V L V S.

Tribuo tibi etiam Ius aureorum an-
nulorum auctoritate publica, quo

E 2

ritu

ritu notum est tribui dignitatem, & collocari idoneos homines in superiorem ordinem, qui Rempublicam vel consilio vel armis protegat. Simul etiam dato annulo iusticiam tibi desponderi scias, quam nunquam deseres.

Olim fuit annulus signum ingenuitatis. Nunc mos ad scholam translatus est, ut gradibus ornati testimonium libertatis haberent, sed hic ritus doctores de vera libertate admonet, quæ non est effrenis petulantia quodlibet dicendi, sed est constantia modestè & graviter dicendi veras, iustas, & à Deo traditas sententias. Confirmandum est igitur pectus his excellentibus virtutibus, amore veritatis & constantia, ne metu aut assentatione inflectamur ad iniustas voluntates potentum, et corruptelas veritatis fucosa specie ornemus, quæ molities animi & leuitas sæpe horribiliter nocuit Ecclesiæ, & imperijs. Constantiã igitur

igitur in confessione veritatis, & in
Ecclesiae doctrina & in civilibus nego-
cijs, propter gloriam Dei, & publicam
salutem praestemus, quia fucosa consilia
nunquam sunt firma, sed tempus veri-
tatem in lucem profert, & refutat men-
dacium. Sed haec non fiunt sine magnis
perturbationibus Reipublicae.

O S C V L V M.

HOc etiam complexu te admoneo de
praecipuo fine & officio nostri or-
dinis. Eò consilia nostra dirigenda sunt
omnia, vt iustè iudicatis controuersijs,
publica pax sit in societate hominum,
vt honesti cætus esse possint, & Deum
rectè celebrare, sobolem educare & eru-
dire ad agnitionem Dei. Sic te Respub.
complectitur & ornat, vt vicissim ip-
si opem feras in tuenda pace. Procul
igitur ab omnibus absint illæ cupidita-
tes, quæ sunt faces dissidiorum publico-

rum & bellorum. Non assentatione
incendant odia Principum, non ambi-
tio, æmulatio, aut auaritia vllos moue-
at, vt alant partium dissidia, & distra-
hant factionibus ciuitates, ordines &
gentes. Vtinam mouerentur omnes
tristissimis comminationibus, quas vox
diuina discordiarum autoribus min-
atur. Nam scriptum est apud Salomo-
nem: Sex ista odit Dominus, & septi-
mum abominatio est animæ eius, oculos
superbos, linguam fallacem, manus ef-
fundentes sanguinem, cor machinans
fraudes, pedes properantes ad nocen-
dum, testem mendacem. Septimum ve-
ro, quod est abominatio coram Deo, est
faciens discordiam inter fratres.

Contra verò dulcissima promissio
tradita est ijs, qui publicam concordiam
tueri student: Beati pacifici, quia filij
Dei vocabuntur.

Postremo

Postremò, scimus vitam & sapien-
tiam hominum non esse felicem, nisi
Deo nos gubernante, & iuuante, &
quod clementissime præceperit Deus,
vt ipsum inuocemus, & auxilium in-
uocantibus promittat, sicut scriptum
est: Petite & accipietis, oro Deum æ-
ternum patrem Domini nostri Iesu
Christi, conditorem cœli & terræ, &
hominum, vna cum filio suo coeterno
Domino nostro Iesu Christo & Spiritu
sancto suo, fontem sapientiæ, iusticiæ &
pacis, vt te gubernet & faciat te orga-
num salutare tuæ animæ & alijs. Con-
seruet etiam honesta studia, ac semper
in his regionibus, propter filium Domi-
num nostrum Iesum Christum, & per
eum colligat æternam Ecclesiam, &
eam luce suæ doctriæ & Spiritu san-
cto regat, & protegat hæc hospitia Ec-
clesiæ, propter suam gloriam, sicut in-
quit: Propter me, propter me faciam,
vt non blasphemem. O Do-

O Domine Iesu Christe, fili Dei vi-
ui, crucifixe pro nobis, & resuscitate, si-
cut precatus es pro nobis, & semper
hanc precationem coram æterno patre
recitas: Pater sanctifica eos in veritate
tua, Fac vt vnum sint in nobis, sit dile-
ctio tua in eis, qua me diligis, Te oro,
vt semper tua intercessione nos iuues,
& colligas et protegas semper inter nos
Ecclesiam, & nos in ea clemen-
ter serues, AMEN.

D I X I



PRO.

PROPOSITIONES,
DESUMPTÆ
EX C. SIGNIFICANTE,

extra de pignor: & L si: C. de pact: pign: iunc:
L si fundus § si: ff de pign: de quibus Præsides
IOACHIMO à BEVST I. V. Doctore, Pro-
fessore ordinario, & Seniore facultatis
Iuridicæ respondit

Daniel Mollerus Brun-
suicensis.

I.

Quæquam dubium non sit, Legem
Comissoriam olim non in emptione
et venditione tantum, sed in pignoribus
quoque licitam fuisse atque usitatam:

II.

Iustissimè tamen de pignoribus ea
lege pacisci vetuit Diuus Constantinus.

III.

Ideoque hodie pactum pignori appo-
situm, ut si debitor ex mutuo, vel alio
quocunque contractu, intra præstitutum

E 5

tempus

tempus debitum non exoluat, pignus in
solutum pro debito, vel emptionis titu-
lo, aut in feudum creditor retineat, nec
vlla deinceps reluendi eius debitori sit
facultas, ipso iure non valet neque ad
agendum neq; ad excipiendum.

IIII.

Siue illud in ingressu contractus in-
teruenerit, siue postea eundem subsequen-
tum sit.

V.

Siue item directis verbis contraben-
tes vtantur, siue obliquis. Neq; enim ad
rem id magnopere pertinet.

VI.

Quemadmodum nec illud refert,
specialiter res, de qua agitur, pignori
hypothecæue obligata sit, an generali-
ter.

VII.

Cum etsi nullo pignore expressè con-
stituto placuerit, vt si ad diem non sol-
uat

uat debitor, illa res ipsius sit acquisita
creditori pro debito, reprobetur conuen-
tio quasi Commissoria.

VIII.

Nihilo etiam magis valet pactum,
quo de agimus, inter debitorem & fide-
iussorem vel alium quemcunq; extrane-
um conuentum, quàm inter debitorem
& creditorem.

IX.

Dotis quoque causam, licet sem-
per & vbiq; præcipua sit, ab hac non
separamus.

X.

Igitur si fundus doti, siue viro
dandæ, siue mulieri restituendæ, ita ob-
ligetur, vt si dos præfinito tempore da-
ta vel reddita non fuerit, fundus in so-
lutum datus sit, dotis quantitate post
tempus lege Commissoria comprehen-
sum oblata, liberatur hypotheca.

Parro

XI.

Porro vsq; adeò commissoria pignorum lex improbatur, vt neq; statuto aut consuetudine municipali.

XII.

Neq; ex interuallo geminata, aut sepius etiam repetita obligatione.

XIII.

Neq; consensu ipsi debitoris, beneficio legis nostræ vel cum iuramento renunciantis, neq; deniq; vlllo alio remedio confirmari aut sustineri queat.

XIIII.

Quamuis ad iuramentum quidem quod attinet, illud seruari tutius esse, non inficiemur.

XV.

Pœna item si quam fortè pactiois seruandæ caussa stipulatus sit creditor, debitore contrà legem conuentionis pignus repetente, non committitur. In fraudem namq; Constitutionis adiecta illa censetur. Sed

XVI.

Sed etsi debitor die solutionis finita, legem contractui dictam sibi magis quam creditori prodesse intelligens, ea ipsemet vti, & pignus dimittere quam debitum reddere maluerit: Creditor tamen inuitus, vt illud insolutum retineat, neutiquam est cogendus.

XVII.

At si pignus medio tempore deterius factum sit, vel totum etiam interierit, aut aliàs idoneum non esse appareat, in personam actio creditori nihilominus manet salua.

XVIII.

Si modò nulla ei possit imputari culpa, aliàs enim periculum pignoris ipse haud dubiè solus sustinebit, & liberabitur debitor.

XIX.

Sanè si ita pignus hypothecaue datur, vt nisi debitum intra certum tempus

pus

pus reddatur, iure emptionis creditor
rem pignoratam, vel si quam aliam e
bonis debitoris elegerit, possideat iusto
pretio tunc aestimandam, venditio quo-
dammodo sub conditione contracta vi-
detur, & valet conuentio.

XX.

Etiam in mutuo. Minimè enim as-
sentimur illis, qui existimant, pactum
eiusmodi tanquam Usurarium in mutuo
non esse admittendum.

XXI.

Et isto quidem casu, quo scilicet de
aestimando pignore conuenit, post diem
solutionis liberum est creditori vel de-
bitum exigere, vel conuentionis legem
exercere: Cum ipsius caussa, non debito-
ris, ita caueatur.

XXII.

Veruntamen si debitor antè quàm
pignus aestimetur, creditum offerat, mo-
ra, si qua in soluendo facta est, purgatur,
& venditio pignoris impeditur.

Quin

XXIII.

Quin etsi non multò post æstimati-
onem iam factam obtulerit, nec credito-
ris propter eam moram quicquam inter-
sit (quod omne in cognitione circumspe-
cti iudicis positum est) ipsum audiri &
venditionem rescindi, humanum nobis
videtur & ab æquitate naturali non
abhorrens, etsi quantum ad subtilita-
tem & rigorem legum, id non probe-
mus.

XXIII.

Nec distinguimus, pignus possideat
debitor, an non.

XXV.

Dummodo non verbis tantum, sed
re ipsa soluere creditori paratum se esse
profiteatur.

XXVI.

Nam si non soluere, sed alia ratione
satisfacere paratus sit, fortè si fideiusso-
ribus vel alijs pignoribus, vel ex pro-
missore aut reo dato cauere velit, nihil
ei, renuente creditore, prodesse manife-
sti iuris est. Quæ

Quæstio.

Sit ne verum quod Baldus scribit,
odio creditoris lege commissoria cum de-
bitore de pignore paciscentis, iuri offe-
rendi vlllo tempore non præscribi.


VViteberge V I. Idus Febru.
in maiori noui Collegii au-
ditorio, hora V II. Anno
M. D. LXXVII.



Ze 2570

Q

X2207 133



B.I.G.


Farbkarte #13



Ch. 271. [Joachim a Beust] IV, 577.

ORATIO
 DE VITA
 IOHANNIS
 SCHNEIDEVVINII
 I. V. D. ET PROFESSORIS
 Publici in Academia VVitebergensi, habita
 à IOACHIMO de BEUST I. V. D. &c.
 cum gradum & insignia Doctorum in Iure
 conferret doctrina & virtute ornatissimo
 viro DANIELI MOLLERO
 Brunswicensi, die XVII. Sept.
 Anno 1577.

Subiectæ sunt propositiones huc perti-
nentes, & Ritus promotionis.



Excudebat Matthæus VVelack,
Typis Iohannis Schuvertelij.

Anno M. D. LXXVII.

4577

